

de quò dici potest corpus Christi, pepen-
dit in cruce, quod falsum. Similiter in al-
terò argumentò major erit hæc: *O. quod
est DEus, est Pater, h. e. DEus, & de quò
prædicari potest DEus, est Pater, quod fal-
sum, cum de Spir. S. prædicari possit DE-
us, qui tamen non est Pater.*

SOPHISMA. V.

O. Pater realiter differt à filio.

Essentia divina est Pater. E.

Essentia divina realiter differt à filio.

Conclusio est falsa, cum inter Per-
sonas & essentiam divinam realis distia-
ctio non detur. Resp. ex præcedentibus,
quod Syllogismus hic accuratè non qua-
dret ad dictum de Omni; hoc enim ut fiat,
in primâ figurâ requiritur, ut majori salvâ
veritate apponi possit signum *mediate*, in-
terveniente scil. pronomine *QVOD* &
verbo subst. *EST*; id quod hic non fit, ma-
ior enim, si h. m. apponatur signum, erit
falsa, nempe quod Pater, & omne id, de
quò dici potest Pater, realiter à Filio diffe-
rat. Vid. Scot.

SOPHISMA. VI.

*O. hominis altera pars statim post mor-
tem vel in cælum vel in infernum
defertur.*

Corpus